DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS, 2

DE

FEBRE PUERPERARUM.

AUCTORE GEORGIO WASHINGTON PATTON.

HISTORIA MORBI.

Coactus hujus Academiae legibus aliquid ad medicinam pertinens scribere, non vana spe augendae utilis jam partae scientiae, sed cupiditate certiorem acquirendi cognitionem morbi parti generis humani amabilissimae atque formosissimae adeo mortiferi, de Puerperarum Febre volui disserere.

A

Edinburgh: C. Stewart. 1815.

Haec febris aeque facili partui ac difficili supervenit, aeque locupletibus ac pauperibus succedit, et omnibus anni temporibus valet. Aegra plerumque secundo aut tertio die post partum corripitur, nonnunquam tamen in sextum aut etiam serius accessio producitur. Antecedunt frigus et horror, interdum ita levia ut vix aegra ipsa sentire possit: his accedit calor, et oculi splendore debito incipiunt vacare, vultusque permagnam indicare debilitatem. Frontis dolorem aegra conqueritur. Pulsus fit plenus, celer atque fortis, sub morbi finem debilis. Tumet abdomen, et ita tenerum, ut minima pressura acutum afferat dolorem. Spiritus celer et difficilis, non aliqua pulmonum affectione, sed diaphragmatis et musculorum abdominis motu viscera inflammata prementium. Lingua plerumque albida, rarius sordida, interdum pars media arida et rubra,

simulque latera humida atque alba. Sitis ingens semper adest, acidique potus avidè quaeruntur. Huic morbo saepe advenit vomitus violentus, viscidus, subviridis; et saeviente febre plerumque niger et aquosus, similis choavae foecibus. Alvus raro multum afficitur, interdum tamen per totum morbi decursum fluit; omni conatu ad alvum dejiciendam dolor augetur. Secundo vel tertio die, dejectiones foetidae fiunt, nigrae atque spumosae. Urina initio cum dolore redditur, aut omnino supprimitur, donec una fuerit aut altera dejectio; coloratissima est, et cum immota permanserit, sedimentum sub imo vase cernitur fluctuans. In multis lac et lochia morbi initio naturalia videntur; lactis interdum nulla est secretio, mammaeque flaccent: sed lochia rarissimè subito supprimitur. Cutis raro multum afficitur; nunc

sicca et calida est, nunc ex parte sudor superiores per artus erumpit. Saepe magna est vigilia, quae valde aegram debilitat. Quanquam ab initio febris, capitis magnus est dolor, aegra semper est rationis compos usque ad mortis articulum. Haec signa aliquot manent dies, et deinde febris in putredinem vergit. Genae coccineae fiunt, dentes et lingua nigra crusta obteguntur, oculi concavi sunt, nasus contrahitur, pallescunt labra, singultus advenit, sudor frigidus per partes extremas erumpit, tremescit pulsus, aegra paucas emittit dejectiones nigras et foetidas, plerumque inscia, quod dolorem levat; tunc vana spe decepta, putat se periculum effugisse, donec serius aut citius mors eam illachrymabilis, inter amicorum gratulationes auferat.

INSPECTIO CADAVERUM.

Abdomine post mortem dissecto, aër valde foetidus evolat. Peritonaeum semper ex parte inflammatum apparet. Liquor sero similis in cavo abdominis, qui frustula habet lactis coagulis simillima in eo natantia, invenitur. Hujus liquoris quantitas inter duas uncias et duos octarios variat. Ventriculus plerumque aëre repletus, vasa sanguine turgida, et saepe liquorem habet tenuem, subfuscum, similemque ei quod aegra viva vomuerat. Crassa et tenuia intestina aeque sunt flatu distenta, et inflammatione affici, nonnunquam sphacelo videntur. Earum involutiones quantitate materiae purulentae ut sit difficile intestina evolvere, sunt conjunctae. Uterus in quinque

ex sex exemplis, quos Hulme celeberrimus memorat, sanus erat et propria positione in pelve jacebat. Reliquiae membranae deciduae falsè pro signis gangraenae interdum captue sunt, sed facile absterguntur, uterusque in statu naturali ostenditur. Ovaria plerumque statum salutarem prae se ferunt. Jecur nunquam afficitur, quanquam ejus tunica aliquando est partim inflammata. Vesicula fellis saepissime bile superfluit. Omentum plus minusve imminutum vel suppuratione vel gangraena invenitur.—Haec febris pulmones rarissime vitiat, sed apparent ex parte collapsi, quia dolor spirando ortus non aegram sinebat spiritum, quantus satis distenderet, haurire.

CAUSAE.

De natura et causa Febris Puerperarum parum inter medicos constat. Nam alii inflammationem adesse putant, alii eam esse putridam, alii pestiferam, alii epidemicam, alii ex his omnibus compositam. Plures tamen inflammationem habere arbitrantur. Hulme et Leake ambo opinantur inflammationem intestinorum et omenti, proximam esse causam hujus morbi; sed multum inter se de causis praedisponentibus differunt. Opinionem Leake quae magis est rationi consentanea volo considerare, et igitur ad documenta quae ad suam opinionem firmandam affert, attendamus. Mulier parturiens acutis doloribus, qui aequalibus intervallis intermittunt, affecta est,

donec vi musculos abdominis et diaphragma contrahendi, juvante validissimam uteri contractionem, infans extrusus est. Mulier in parturiendo variè est affecta ; pulsus qui ante partum naturalis erat, fit plenior et frequentior : facies rubra et saepe tumida comitante brevi febre. Uterus sese cito contrahit ; ejus fabrica, quae ante partum multo erat densior quam ante graviditatem, jam magis addensatur ; brevi autem actione vasorum lymphaticorum in statum priorem redactus est. Sanguis qui utero distenso inerat ita exprimitur, et vasculorum ora quae praebent placentam paulatim minuuntur : humor effusus, qui primo erat sanguis purus, fit sero similis, et denique omnino cessat fluere. Pondere uteri gravidi aortam descendentem premente, plus solito sanguinis in caput et superiores partes corporis impellitur ; impedimento au-

tem amoto, major copia sanguinis ad intestina, omentumque et partes extremas inferiores fluit, quod a vertigine atque animi defectione quae saepe partui adsunt, inferri potest. "When the pressure of the gravid uterus, (inquit Leake,) is suddenly taken off from the aorta descendens, after delivery; the resistance to the impulse of blood passing through all the vessels derived from it, and distributed to the contiguous viscera, will be considerably lessened; it will therefore rush into those vessels with a force superior to their resistance, and by putting them violently on the stretch, may occasion pain, inflammation and fever; particularly in the omentum and intestines, where they are numerous and most yielding; and this is more probable, because those arteries, before they enter the viscera, are divested of their strong external

coat." Ab uteri contractione, quam supra diximus, in partes contiguas major vis sanguinis injicitur, qua earum distensio augetur, atque inflammationem fiunt proclivio-res: "Till such a change is produced, (inquit idem scriptor,) women are not subject to this fever." Cum Febris Puerperarum multo saepius aliis anni temporibus occurrit, quidam praeclari medici causam ejus ad aëris statum putant esse referendam. Sed hoc dubium, nam interdum valet in quadam regione aut oppido, dum in locis aut oppidis vicinis non apparet. Aër humidus, calidus, aut impurus, seu pestifero oneratus halitu, pro certo hanc febrem auget; et si aliae causae jungantur, etiam inducere potest. Hinc adest frequentissime valetudinariis locisque contractis, ubi parum operae munditiae et perflatui datum est. Impedita lactis secretio et lochiae

suppressio hujus morbi causae existimatae sunt. Sed nuper diximus has secretiones in quibusdam mulieribus nec natura nec copia affectas esse, dum in aliis mutatas, minutas, vel omnino repressas fuisse. Praeterea sana uteri facies post mortem huic opinioni, quae in praesenti tempore paucos habet fautores, contradicit. Quidam sunt auctores Febrem Puerperarum tabo pestilente sese diffundere, quod mulieres quae eandem obstetricem vel nutricem adhibuere, tentatae sunt, (a contagione ut illi volunt,) dum quae alios ministros adhibuerunt, quamvis in eodem oppido vivebant, effugerunt. Ad cujus fidem narrant quod in valetudinariis aliisque locis, ubi puerperae multae in eodem conclavi detinerentur, vix singulis aut binis morbo correptis, ceterae statim aegrotare inciperent. Sed oritur ex incuria aut negligentia in victu, et

aëris puri inopia quae plus minusve omnibus in valetudinariis, et quibus omnes in iis puerperae aeque sunt obnoxiae, valent; tam multae hoc morbo affectae sunt, ideoque nomen pestiferum huic datum est. Sin autem contagio specialis esset causa, nullum remedium quo uti possumus morbum prohiberet si aegra tactum contagionis exciperet. Sed contra, bene notum est, cui etiam Doctor Gordon, Abredonensis, assentitur, alvi purgationem rite illatam posse morbum prohibere. White Mancuniensis cum aliis quibusdam morbi originem censet, "An absorption of human effluvia, of acrid bile, and of a putrid colluvies through the whole intestinal canal and organs of generation." Sin autem hoc esset verum, Febris Puerperarum multo frequentius appareret. Alii putant hunc morbum ex aëre frigido in uterum recepto oriri; dum

alii censent causam esse lactis metastasin. Sed hae opiniones vix rationi consentaneae videntur.

DIAGNOSIS.

In hoc morbo diagnosis accuratissima summi est momenti, cum sit saepe pro alio morbo initio ejus ignorata obstetrice accepta, et medicus peritus donec sit serius non arcessitur. Febris Puerperarum a febre lactea, dolore et teneritate abdominis, calore cutis et longiore rigore ; quoque absentia acuti pulsantis doloris et mammarum distensione, atque pondere quae febri lacteae adsint, distinguitur. Miliariam a

Febre Puerperarum discernunt anxietas, odor cutis pungens, et sensus in ea punctionis, quae eruptionem miliariam praegrediuntur. Hic morbus sic quoque a colica distinguitur. Febri Puerperarum pyrexia et alvi fluxus adsunt. Aegra neque torminibus, neque spasmis musculorum abdominis torquetur, sed dolor abdominis pressura valde augetur. Ab Enteritide quia alvus soluta est. A doloribus partum consequentibus, quia hi se intermittunt et non augentur premendo. Vomitus qui partui celeri supervenit, differt a vomitu Febri Puerperarum proprio quod non est biliosus, atque ultro cessat sine ullo symptomati malo sequente. Hysteritide, denique, pauca consimilia signa notanda sunt : Cullenus hunc morbum ita depinxit : " Pyrexia ; hypogastrii calor, tensio, tumor, et dolor ; os uteri tactu dolens ; vomitus." His propo-

sitis, quid ad morbum dignoscendum necessarium sit, clare patebit.

PROGNOSIS.

Dandum est hujus morbi cautissimum augurium, semper lethalior est in valetudinariis quam in aedibus privatis, ubi omnia noxia subducuntur. Eventus malus praesagiendus erit, si non adhibita sint medicamenta idonea cito post accessionem, nam in nullo morbo mora est periculosior. Spes sanitatis futurae major est, si morbus diu post partum accesserit; nam vires plerumque majores, tumor abdominis minor, aliaque signa leviora sunt. Frequentius ene-

cat sexto aut septimo die, quanquam interdum multo maneat diutius. Sed contra nonnullas memoratur viginti quatuor horis morte occubuisse. Respiratio cita atque accelerata, celer et inaequalis pulsus, acutus dolor, ac tensio abdominis, maculae in genis rotundae et lividae aut coccineae, dolores per regionem ventriculi tendentes, pervigilium, lingua arida et aspera, notae sunt magni periculi. Sin autem una cum ventris fluxu, multo sudore, aut urina copiosa, pulsus arteriarum tardiores, firmiores, et pleniores fiant, spes salutis certior erit. Spiritus, ubi, ex angusto, facilior et liberior fit, pulsusque simul faustus, aegram in bona esse spe judicare licet.

DE CURATIONE.

Quanquam de natura et causa Febris Puerperarum, multum inter medicos disputatur, de remediis tamen quae in ejus curatione debent adhiberi, plerumque inter se consentiunt, excepta sanguinis missione. Si ad signa prius enumerata animos vertamus, sanguinis detractionem, alvi purgantia et alia medicamenta, quae diathesin plethoricam sedarent, esse quibus uti debemus invenietur. Non argumenta omnia quae sanguinem mitti, aut non, doceant, in hoc loco adducam ; mihi satis est scire Denman, Hulme, Leake et plerosque alios aeque celebratos, mihi assentiri de hujus re-

medii utilitate. Ab hoc remedio deterrentur multi, quia pulsus est debilis atque frequens; sed hoc non a debilitate oritur; nam pulsus sanguine misso fit tardior atque plenior. Cum decursus hujus morbi sit celerrimus, cito hoc remedium adhiberi maximi est momenti; et de his rebus Leake luculenter scripsit, nam ait: "In the child-bed fever, therefore, as well as all those which, like it, are truly inflammatory, and uniformly produce internal suppuration, bleeding is the only remedy, which can give the patient a chance for life; especially as local inflammation, if violent, more frequently terminates by suppuration than by any other means, where that has been neglected." Et in alio loco: "Although bleeding in the beginning is the principal remedy to be depended upon, it will seldom prove of service after the second or

third day of the attack." De sanguinis quantitate detrahenda, inter se medici differunt; alii, inter quos Leake, censentes, decem uncias morbi principio sufficere, dum Gordon existimat, viginti aut etiam quatuor et viginti uncias detrahendas esse: sed non dubium est, quin copia elicienda aetate et aegrotae viribus regeretur. Tutissima via in dubiis casibus, est arteriae pulsus explorare, dum jam sanguis ex vena fluit: si ictus robustiores fiant, ampliores, et liberiores, quantitas detrahenda potest augeri. Sed si deprimatur, aut inaequalis fiat, vulnus est claudendum. Quae sanguinis missionem deposcant signa, eadem quoque alvum purgandam esse ostendunt. Haec tamen maximè esse debent, sales medii, parvis in portionibus, multum diluti, ne valde irritent intestina. Alvus duci debet, cum puerpera multum debilitatur; quae

ductio materiem amovet irritabilem, et eodem tempore internas partes fovet: cautione tamen adhibita, quia partes sunt irritabiles atque tenerae. Quae vomitum movent, imprimis ipecacuanha, multum a Doulcet Parisiensi commendata sunt, quam dedit in portionibus quindecim granorum. Tamen videntur esse ancipiti remedio, cum praesertim vomitus sponte ortus morbum aggravet. Sudores moventia multum a medicis quibusdam laudata sunt, sed quoniam aegrotam semper debilitent, magis sunt vitanda. Fomenta et cataplasmata abdomini applicata, nonnulli auctores plurimum commendârunt, White inter alios condemnante. Si singultus et subsultus tendinum in morbi decursu superveniant, utendum erit spasmi solventibus, ut moscho, aethere, castoreo, aliisque similibus, quamvis est probabile parum esse profutura.

Cum partes extremae insolito frigore inalgescunt, stimulantia cataplasmata admovere juvabit. Post inflammationem devictam, cinchona et alia tonica, cum levi et opimo victu atque vino, vires mulieris maximè recreabunt. Magna ad munditiam et puri aëris admissionem attentio, per totum morbum est valde neçessaria ut aegra servetur. Haec sunt praecipua remedia, quae memoranda putavimus: sed haec sine discrimine non adhiberi debent, sed morbi impetus, aetas et vires aegrotae, semper sunt imprimis consideranda, et quae sagacis medici nunquam e memoria excidant. Sanguinis autem detractio, et alvi purgatio nunquam omitti debent, nam sine dubio de his curatio maximè pendet. "Nunc propositum meum perfeci, et per totum opus, intrare tentavi in abdita quasi et penetralia morbi, quo facilius ejus latebras et reces-

sus patefacerem, omnibusque exponerem; quod si recte peregi, mihi abunde est; sin minus, humanum est errare."

FINIS.

Excudebat C. STEWART,
Academiæ Edinensis Typographus.